Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ME

Factum est autem in die qua compleuit moyses tabernaculum et erexit illud. unxitq; et sanctificauit cum omnibus uasis suis. altare similiter et omnia uasa eius. obtuleruntq; principes israel et capita familiarum qui erant per singulas tribus prefecti eorum qui numerati erant munera coram domino sex plaustra tecta. cum. xii. bouibus. Vnum plaustrum obtulerunt duo duces. et unum bouem singuli. obtuleruntq; ea in conspectu tabernaculi. Ait autem dominus ad moysen. Suscipe ab eis ut seruiant in ministerio tabernaculi. et trades ea leuitis iuxta ordinem ministerii sui. Itaq; cum suscepisset moyses plaustra et boues tradidit ea leuitis. Duo plaustra et. iiii. boues dedit filiis gerson. iuxta id quod habebant necessarium. iiii. alia plaustra et viii. boues dedit filiis merari secundum officia et cultum suum sub manu ithamar filii aaron sacerdotis. Filiis autem caath non dedit plaustra et boues quia in sanctuario seruiunt. et onera propriis portant humeris. Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris die qua unctum est oblationem suam ante altare. Dixitq; dominus ad moysen. Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. Primo die obtulit oblationem suam naason filius amminadab de tribu iuda. Fuerunt q; in ea acetabulum argenteum pondo. c. triginta syclorum fiala argentea habens lxx. syclos. iuxta pondus sanctuarii utrumq; plenum. simila conspersa oleo in sacrificium. Mortariolum ex decem syclis aureis plenum incenso. bouem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum hyreumq; pro peccato et in sacrificio pacificorum boues duos. arietes. v. hyrcos. v. agnos anniculos. v. Hec est oblatio naason filii amminadab. Secundo die obtulit nathanael filius suar. dux de tribu ysachar. acetabulum argenteum appendens. c. triginta syclos. fialam argenteam. habentem. lxx. siclos. iuxta pondus sanctuarii utrumq; plenum simila conspersa oleo in sacrificium. mortariolum aureum habens. x. syclos plenum incenso. bouem de armento et arietem. et agnum anniculum in holocaustum. hyreumq; pro peccato et in sacrificio pacificorum boues duos arietes. v. hyrcos. quinq; agnos anniculos quinq;. Hec fuit oblatio nathanael filii suar. Tercio die princeps filiorum zabulon heliab filius helon obtulit acetabulum argenteum appendens. c. xxx. siclos fialam argenteam habentem. lxx. syclos ad pondus sanctuarii. utrumq; plenum simila conspersa oleo in sacrificium. mortariolum aureum appendens. x. syclos plenum incenso. Bouem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum. hireumq; pro peccato et in sacrificio pacificorum boues duos. arietes. v. hyrcos. v. agnos anniculos. v. Hec fuit oblatio heliab filii helon. Die quarto princeps filiorum ruben helisur filius sedeur obtulit acetabulum argenteum appendens. centum. xxx. syclos fialam argenteam habentem. lxx. syclos ad pondus sanctuarii utrumq; plenum simila conspersa oleo in sacrificium mortariolum aureum appendens. x. siclos plenum incenso. bouem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum hyreumq; pro peccato et in hostias pacificorum bo

in maclatum